

V/K
1995



18.15



Vk
1995

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
DE
IVRE OBLATIONIS
AD IVRANDVM IN LVSATIA
SVPERIORI



QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXI. AVGVST. ANNO MDCCCXXI.

DEFENDET

ERDMANNVS GOTTLIEB GERBER

BVDISSA LVSAT.

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.

X. 144. 3.

2. 77.







DE
IVRE OBLATIONIS
AD IVRANDVM
IN
LVSATIA SVPERIORI.



§. I.

Sicuti hominum improbitas causa est litium
atque iudiciorum, quorum labor tantus
vix esset in rebus publicis, quoties qui-
uis alteri suum tribueret; ita sollicitae
fuere leges, quo quemque in suo iure
tueri possent, si alter ius negaret, media excogitare, per
quae iudex certus redderetur de iis causis, de quibus lis
agebatur, quo deinde decernere atque iudicare posset.
Probationum solennitas vel per testes fide dignos, vel



per documenta scripta introducta est atque comprobata, quae si deficeret solennitas, nullum aliud superfuit medium litem de causa aliqua decidendi, quam ad officia religionis et pietatis confugere atque metu irae atque vindictae diuinae hominum conscientiae rem controuersam committere. Iuramenta itaque comprobata in subsidium, vel, vt fides rei gestae iis probetur, vel, vt iis praestitis, lis dirimatur, in quo non errarunt maiores nostri in paroemia, putantes: *Der Eyd ist das Ende alles Habens.* Cum vero illa per iuramentum in subsidium recepta probatio vel dirimendae litis medium a religione petitem ea vero, vel prout ei inest veritas, vel superstitio atque error, pro illius diuersitate variis iuramentorum formulis atque iurandi ceremoniis occasionem dedit, in quae inquirere nec loci, nec causae ratio patitur. Imo sicuti de diuersis causis iurata interponebatur fides, ita artis studia varias iuramentorum diuisiones atque species exposuere. Nobis autem non de omnibus iuramentis, quorum species, vel ex leuissimo compendio notae, nec de formulis iurandi solennibus atque in praestationibus adhibendis ceremoniis, sed de vnica in foro obueniēte solennitate aliqua agendum est, scilicet de ritu oblationis ad iurandum, ab eo obseruando, cui in lite ciuili iurandi necessitas vel ex delatione, vel ex relatione, vel ex iudicis iussu imposita est.

§. II.

Oblatio ad iurandum actus est, qui ab eo peragitur, a quo iuramentum praestandum, quo proficitur, se in iudicio iuraturum, ad quem finem petit termini constitutionem

nem citationemque in eum finem emittendam. Peragitur hic actus in scriptis magistratui offerendis, quoties tanquam solennitas quaedam Processus consideratur. Diversa est haec solennis ab ea oblatione ad iurandum, quae fit in termino ad iurandum praefinito, quo se sistit iuraturus atque a iudice ad praestationem iurisiurandi admitti petit. Alia praeterea est oblatio, quae fit, dum quis, qui vel documentum recognoscere vel edere detrectat, loco recognitionis vel editionis sese ad iuratam diffessionem offert, vel ad iuramentum editionis admitti petit. Sed nihil nobis negotii est cum vtraque posteriori ad iurandum oblatione: prioris tantum rationem habebimus.

§. III.

Ignorant communia iura hanc solennitatem oblationis, neque ipsum. JVS PROVINC. SAXON. Lib. II. Art. XI. de hoc oblationis ritu vnquam poterit intelligi: Scripserat enim Speculator: Wer Eyde gelobet zu schwören, und leistet er sie nicht zu rechten Zeit, er ist der Schuld überwunden, da die Eyde nun gelobet waren. Quis vero non videt, agere Repkouium de contumacia iurare nolentium, qui prius iusiurandum acceptauerant atque se praestituros promiserant, in termino vero haud iurant: nemo vero de solenni aliqua oblatione atque ad eam perficiendam constituto fatali aliquo textum illum interpretabitur. Originem ergo debet solennis illa oblatio eiusque constitutum fatale absque omni dubio Juri Saxonico Electorali veteri. Vfus introduxerat, lex expresse confirmauerat, scil. ORDIN. PROC. SAX. VET. Tit.



XVIII §.9. Si ratio huius introducti iuris aliqua eaque probabilis statuenda, ea fuit, vt intra illud fatale per oblationem se declaret iuraturus, an iurare, an referre iuramentum, an probationibus scientiam defendere velit, ne frustra a iudice terminus ad iurandum praefigatur.

§. IV.

Patet ex ratione illius introductae ceremoniae oblationis, proprie illud fatale oblationis locum habere potuisse in iuramentis delatis. Dein extensum ad relata, purgatoria, imo et suppletoria. Ita expresse ORDIN. PROC. SAX. *cit. Tit.* Non ergo in aliis iuramentis licet in iudicio praestandis obseruatur, vtpote in *iuramento calumniae, editionis, diffessionis, documentorum nouiter repertorum, specificationis, minorationis, in litem, Zenoniano atque Perhorrescentiae*, vt de omnibus probat HAYMIVS *de Stilo curiae L. VI. Tit. X.* Nec iam olim obseruatam fuisse ceremoniam oblationis in iuramentis in causis matrimonialibus, notauit GRIEBNERVS in *Introd. in Process. L. II. Cap. III. §. 8.*

§. V.

Diximus hanc oblationem ad iurandum solennem fieri in libello scripto. Argumentum, quod in eo libello continebatur, absoluitur partim expressa declaratione, se iuramentum impositum per interlocutionem praestitutum, in quem finem se offert iudici, rogatque, vt terminum ad iurandum constituat citationemque emit-

tat,



tat, terminumque iuraturō notum faciat. *Fatale* intra quod hicce libellus iudici exhibendus, *offiduum* est, quod currere incipit a momento, quo interlocutio, in qua iniuncta iuramenti praestatio, in rem abiit iudicatam. Tam striete hic terminus obseruandus, vt ne anticipando ante rem iudicatam perfectam possit oblatio peragi, saltim licet anticipando facta fuerit, nisi intra fatale repetita, non euitabat poenam lege sancitam.

§. VI.

Poena vero, quae hoc Saxonicum ius ei definiuerat, qui vel plane non hanc oblationem peregerat, vel peregerat quidem, sed non intra legitimum fatale, ea erat, vt ad iuramentum amplius non admittatur, sed illud *desertum* declaretur. Ita sane ORDIN. PROC. SAXON. VET. c. l. disposuerat, quamuis haud negem non acuto satis iudicio hoc dispositum fuisse, quam opinionem defendere videtur GRIEBNERVS in *Diff. Epistol. de Litium ambagibus rescindendis* §. 33. Sicut enim res iudicata firmam producebat obligationem ad iurandum atque perfectum ius tribuebat, vt admittendus sit ad iurandum: ita absque ratione sancitum videtur, vt ob hanc inanem solennitatem neglectam statim habendum sit iusiurandum desertum, suoque iure excidat is, cui iuramentum impositum, qui que in termino iuraturus erat. Dein si et suppletorium desertum fiat ob neglectam oblationem, quod iuramentum imponitur ob semiplenam probationem, quid ergo faciamus cum semiplena probatione? An et haec, quae tamen legitime peracta fuerat, desinat esse semiplena et amittat citra causam fidem?

an



an praesumamus exinde ob non factam oblationem, non iuraturum fuisse eum, qui se non obtulerat. Facti hoc est, quare nulla hic attendenda praesumptio? An denique pure condemnemus eum, qui se non obtulerat? At probauerat tamen femiplene, nec potest desinere esse probatio femiplena, cum in ea nihil peccauerat.

§. VII.

Bene ergo haec perpenderit Serenissimus Elector Saxo in ORDIN. PROC. RECOGNIT. ad Tit. XVIII. qui inutile hoc fatale imo ipsam inutilem offerendi ceremoniam sustulit, iudicique necessitatem imposuit, ut ipsemet, si interlocutione parti iuramentum impositum, ex officio citationem ad praestandum iuramentum emittat terminumque iurandi definiat. Sicut ergo hoc iure necessitas sese offerendi ad iuramentum intra octiduum cesset, ita quidem non peccabit, qui se seruato hoc fatali offert, non tamen damnum patietur, si negligat, quod vsitatus atque frequentius continget, poenam amplius patietur, sed nihilominus ad praestandum ius iurandum adhuc admitteretur.

§. VIII.

Explicato vero hoc Saxonico Electorali Jure, iam ad illius applicationem veniamus in Marchionatu Lusatae Superiori. Quaestio itaque oritur. *An in Lusatia Superiori poenam patiatur deserti iurisiurandi, qui intra octiduum fatale illud oblationis sese ad iurandum sollemniter non obtulit.*

obtulit. In hac dubia quaestione exponenda non est ambigendum, esse inter eruditos, qui negent usum oetidui: esse contra alios, qui illius fatalis atque independentis poenae usum adfirmant. Nos videamus, quis grauioribus argumentis instructus sit, vtrum, qui negant, an qui adfirmant.

§. IX.

Adfirmantes maxime ad obseruantiam fori confugiunt, et cum videant, saepius aduocatos clientum nomine, quibus iuramentum interlocutione impositum est, libellum oblationis iudici offerre, concludunt, nisi illius fatalis vltus receptus foret, vix ita aduocatos acturos, vt iudici libellum oblationis porrigant. Sed ita non iudicarem. Sicuti enim praeter Saxoniam legem nulla lex communis adest, quae illud fatale ordinet, illiusque neglectum poena coercean deserti iuramenti, ita quoque nulla lex adest, quae illius usum damnet. Consequi inde licet, cum oblatio extra iuris Saxonici obligationem nec praeepta, nec prohibita, eam esse ceremoniam mere arbitrariam, quae adhiberi impune potest atque impune quoque negligi. Si ergo arbitrario ille offerendi ritus, vel quod ita a maioribus factum esse viderunt, vel quod secus fieri posse ignorarunt, obseruatus a pragmaticis; tamen exinde non poterit tuto concludi, ipsum iuris Electoralis praescriptum fatale statutamque poenam in Lusatia superiori quoque consuetudine seu iure non scripto esse comprobata, quippe in rebus meri

B

arbi-





arbitrii solus vsus consuetudinem introducere haut potest.

§. X.

Vtuntur praeterea argumento ducto ex ORDIN. PROC. SAX. VET. *Tit. XVIII.* et cum veterem Processum instituant in Lusatia, concludunt, vsu autoritatem obtinuisse Oblationem ad iuramentum eiusque hoc iure introductum fatale. Adfirmant in subsidium ad fontem fori Saxonici praecipue esse transeundum, si leges prouinciales sileant, hancque Processus ordinationem ad subsidiaria iura referunt. Sed nec hoc vterer argumento ad defendendum fatale oblationis. Non enim Processum veteris Ordinationis Saxonicum vnquam recepit Lusatia, sed veterem potius Prouincialem, suumque sibi proprium habet, quod patet ex *Corporis Iuris Lusatice*. Ergo superest, vt simul negemus, nec in subsidium quidem receptam esse posse Ordinationem veterem Saxonica in Lusatia. Lusatia enim, quamuis communem habeat cum Electoralibus terris Saxonici Principem, tamen satis constat, proprium habere Marchionatum Lusatiae superioris regimen, suos sibi status prouinciales, suos conuentus, suas publicas leges et iura, suam prouinciae peculiarem ordinationem, atque denique diuersum principis sui Marchionis ius a Bohemiae regno veniens, cum electoralis terra ab imperio Germaniae veniat. Quapropter nunquam, cum duo diuersa sint imperia, vnum, Electorale, alterum, Marchionatus vnus

vnus prouinciae ius in altera prouincia erit subsidia-
rium, cum ab inuicem proprie non pendeant. Dein,
si verum esset, Saxonicas leges in subsidium receptas
esse, cum receptio in facto consistat, illa probanda
esset lege, qua receptio facta. At illa receptio nun-
quam probabitur, cum potius in Lusatia nullae le-
ges in Saxonia latae valeant, nisi peculiaris promul-
gatio ex consensu statuum accedat, in quo iure etiam
semper status ab ipso principe Electore tuentur.

§. XI.

Neque ob hanc causam, quod Electoralia iura vsu
in subsidium recepta sint, valido argumento esse po-
terit, ad probandam receptionem fatalis oblationis
ad iurandum. Quodsi enim verum, quod recte ne-
mo negat, ius aliquod, simulac noua lege corrigi-
tur et abrogatur, inter iura referri amplius non pos-
se; sequeretur, neque receptione amplius iure cor-
recto comprobari posse. Quapropter, si in subsidi-
um receptum esset ius Electorale, illud subintelligen-
dum, quod vere inter iura referri debet, non quod
amplius inter iura esse desit. Iam fatale oblationis,
cum nouo iure abrogatum sit, desit esse ius Electro-
rale, ergo ex subsidiario illo recepto iure eius obliga-
tio in Lusatia Superiori probari amplius nequit, nisi
probetur, expressa lege prouinciali id comprobari, li-
cet in subsidiario iure abrogatum sit, quae tamen lex
haud extat.



§. XII.

At electoralia iura non esse inter ea, quae in Lusatia Superiori in subsidium recepta sunt, probant documenta, quae ad subsidiaria iura haud referunt. Egregie id docet argumentum MATTHIAE Regis Bohemiae Resolutione Grauaminum de dato 6 Septbr. Ao. 1611. Verba describamus, cum hocce dyploma nullibi typis exscriptum deprehendimus.

Die zu Hungern und Boheim ic. Königl. Maiestl. unser gnädigster Herr, haben Ihr, der sammtl. Herren Stände von Land und Städten des Marggraffsch. Oberlausitz nach gestriger Ihrer Königl. Maiestl. beschehenen Erbholdung übergebene Grauamina referiren und fürbringen, solche auch in nothdürfftige Berathschlagung und Erwegung ziehen lassen, geben ihnen darauf nachfolgenden gnädigsten Bescheid:

Nachdem bey dem 16 Articul berichtet wird, daß bißweilen bey der Appellation nicht nach des Landes- und Gerichts Ordnungen Privilegiis, Statutis und Juribus municipalibus, weder nach gemeinen Sächsl. Rechten die Belernungs Urtheil, sondern secundum ius civile, canonicum vel alio modo arbitrario expediret, auch von der Appellation

Inhi-

Inhibitiones und Anordnungen angestellet würden; Als erbie-
 then Sich Ihre Königl. Maieſt. gnädigst, es dahin zu rich-
 ten, daß in den einkommenden Fällen nach den Landes und
 Gerichts-Ordnungen, Privilegiis, Statutis et Juribus muni-
 cipalibus so wohl Landübl. Sächsl. Rechten (dessen sich ein
 iedweedes Land gebraucht, und bey den Fragen und überschick-
 ten Acten angiebt) decidiret, und der Decisioni berührter
 Land- und Gerichts-Ordnungen, Privilegiorum, Statutorum
 et Jurium municipalium (welche aber die Städte im glaub-
 würdiger Abschrift, so wohl bey der Canzley, als auch bey der
 Appellation zur Nachricht einzuschicken, hiermit erinnert
 werden) billig nachgegangen und die Belehrungs Urtheil hierauf
 gerichtet werden solle. Im Fall aber einer oder der andre vor-
 fallende Casus in den Land- und Gerichts Ordnungen, Priui-
 legiis, Statutis et Juribus municipalibus noch in den Land-
 übl. Sächsl. Rechten nicht zu decidiren; So soll alsdem
 und auf solchen Fall secundum Jus civile et canonicum
 nach Gelegenheit der Qualitaeten und Umstände, oder auch
 arbitrarie, wenn derselbe casus auch weder in iure civili noch
 canonico decidiret, consideratis facti circumstantiis erör-
 tert, Wie ingleichen, die Inhibitiones vermöge Kaysl. Maieſt.



angezogenen Resolution sub dato den 16 Decbr. 1608 bey
der Appellation in künfftig eingestellet verbleiben. Welches
Ihro Königl. Maiesil. den getreuen Ständen zu gnädigen Be-
scheid nicht vorhalten wollen, und verbleibe ihnen mit Königl.
Gnaden förderst wohl zugethan.

Decretum per Regiam Maiestatem Budissinae VI Sept.
Anno 1611.

Edencko Adelbert Popp. *)

(L. S.)

Johann Platois.

Sicuti vero, cum ad Electoris possessionem postea
veniret Marchionatus, singula iura, statuta atque priui-
legia illius terrae ab Electore confirmata, ita eundem or-
dinem iurium confirmavit Sereniss. Elector IOHANNES
GEORGIUS I. tanquam Marchio Lusatae Superioris *de
dato Dresdae d. VI Sept. MDXCV.* vt deprehendimus in
Corp. Iuris Superior. Lusat. p. 209. Nihil mentionis in hac
lege fit Juris Electoralis Saxonici tanquam in subsidium
recepti. Sed I) prouincialis communis Saxonici scil.

Repko-

*) Quae subscriptio in aliis documentis ita latine legitur: Matthias,
Sdencko ad Popp. de Lobcowitz S. R. Bohemiae Cancellarius ad
Mandatum Sacr. Reg. proprium,

Repkoniani II. *Ciuis* et III. *Canonici*. Cum itaque ex scripto Jurium ordine sancito ipse Elector sua scil. Electoralia noluerit esse inter recepta in subsidium iura, suaque beneficia atque legum diuersarum capita sedulo custodierint et Status prouinciales et maxime ipsemet Serenissimus Elector tanquam Lusatiae Superioris Marchio; ita nec credibile est, et Serenissimum Electorem, et ipsos Status prouinciales de tacite recipiendo iure Electorali unquam cogitasse.

§. XIII.

Ex his itaque praemissis recte consequimur, fatale oblationis Juris Electoralis Saxonici veteris in Lusatia superiori pro recepto haberi haud posse. Et, vt hoc adsertum comprobemus ex forensibus causis, obseruauimus, in causa *des Ziegler-Gottaischen* Concurfus den 8ten Septbr. 1570. obuuisse litem inter *Da. de W.*, contra Curatorem litis de fatali oblationis, quod prior non obseruauerat, nihilominus in iudicio ordinario contra Curatorem obtinuit, atque ad iuramenti praestationem admissus neque iuramentum desertum iudicatum fuit. Neque hanc opinionem, scil. non obseruari in Marchionatu Lusatiae fatale oblationis, mutauit summum Lusatiae Regimen, quippe nuper admodum in causa *der Burgersch. zu C.* contra *Hr. Gr. v. G.*, qui fatale oblationis neglexerat, quapropter desertum iudicandum censabant aduersarii iuramentum, neque in praefixo termino ad iurandum admittendum putabant, pronuntiauit: *Daß Best. sich an dem zuerkannten Erfüllung*

7K 1995 OA



fällungs Ende nicht versäumet, sondern zu Praestirung des-
selben annoch in einem anderweit hierzu praefigirten Ter-
mino zuzulassen. Inter alia argumenta, quibus inniti-
tur haec sententia, praecipue non vltimum videtur,
quod et in rationibus decidendi adductum, quippe fa-
talia, quae cum detrimento seu praecudicio, quod vo-
cant, coniuncta, neque pro receptis habenda, neque
multiplicanda, nisi lex expressa aliqua adsit, quae eius-
modi fatale quoddam sanciat.



ULB Halle


3

007 528 833



NR16





B.I.G.

Farbkarte #13

Vk
1995

QVAESTIO
VRIS CONTROVERSI
DE
E OBLATIONIS
VRANDVM IN LVSATIA
SVPERIORI



QVAM
STRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
RISTIANO HENR. BREVNING
SSOR, PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
T SOCIETAT. LITER. DVISVVRG,
SOCIO

AVDITORIO PETRINO
XXI. AVGVST. ANNO CIOICCLXXI.
DEFENDET
IANNVS GOTTLIEB GERBER
BVDISSA LVSAT.

LIPSI AE
LITERIS RVMPFIIS.

2.77.

